ROETTIG

Quaestio Juris Criminals num Crimen Haud Idoneis Opibus Attentatum Puniendvm Sit?

QUAESTIO JURIS CRIMINALIS.

NUM CRIMEN HAUD IDONEIS
OPIBUS ATTENTATUM PUNIENDUM SIT?
PARTICULA JURIS POSITIVI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRIS JURECONSULTORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

RITE CAPESSENDOS

IN AULA MINORE HORA XI.

DIE XVI. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXVII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

THEODORUS ROETTIG,
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARII ERUNT:

V. HUEBNER, JURIS STUD. J. KARO, CAND. JUR.

VRATISLAVIAE

AVUNCULO OPTIMO, DILECTISSIMO

GUSTAVO ADOLFO HUEBNER

REGII JUDICII PAGANI LIGNICENSIS DIRECTORI, EQUITI AQUILAE RUBRAE
ETC. ETC.

NEC NON

VIRO DOCTISSIMO, ILLUSTRISSIMO

CAROLO FRIDERICO AMEIS

PHILOSOPHIAE DOCTORI, REGIO PROFESSORI, PRORECTORI GYMNASII MULHUSANI
PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D, D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Vix de quapiam juris criminalis quaestione tanta facta est atque nunc quoque fit altercatio, quanta de hac, quam in animo habemus tractare: crimen haud idoneis opibus attentatum poena afficiendum sit, necne? Nec tamen nobis, quae sunt vires utpote tironis inexercitae, quod ad quaestionem illam et in disciplina ipsa et in praxi sane gravissimam decidendam intenti, cum tot tantisque juris criminalis auctoribus scriptoribusque celebratis in campum descendamus, alios, quorum sententia nobis probatu est, collaudemus et in summa illorum de sententiis nostrum ferre judicium conemur, esse opprobrio objurgioque potest: quo magis de qua re disceptatur inter magistros literarum, eo magis non solum optandum, verum etiam necessarium videtur, justo ac rato judicio finiri solvique illam diuturnam controversiam; neque, quae semper nos decebit, quaque in explicanda sententia uti constituimus, modestia impediemur, quominus quid nobis videatur, libere profiteamur, et quas adversarii nobis opponunt rationes, dijudicemus. Verum enim ita optime perspici posse nobis persuasimus, si non tam numerus vel auctoritas doctorum virorum, qui jam de quaestione disputarunt, nec aliud utique prorsus in literis negligendum, quam haec ipsa sola res, quid postulet, nobis obser-

vetur et respiciatur. Decidendae ac prorsus decernendae hujus quaestionis facultates nos deficere haud inscii si modo absque studio et amore eandem tractasse visi fuerimus, satisfecisse nos putamus.

Quomodo semper fit in hujusmodi tractatibus, nos quoque quomodo absque legibus ex mera rerum natura apte dissolvatur nostra quaestio, scrutabamur. Quum vero non excedere justam brevitatem cupiamus simulque alteram partem ut ita dicam philosophicam serius typis edere in animo habeamus, hic tantummodo, quaenam de jure positivo, inprimis de jure Romano, Germanico, Borussico sint statuenda, explicabimus.

INTRODUCTIO.

Quod de jure omnino dicendum est, diversum illud esse diversis saeculis, hoc etiam in jure criminali[1] obtinet. Ea tantum violatio, quae quum vere extrinsecus damnum sit ortum, illico perspici potest, antiquioribus vindicatur temporibus, dum fines bonorum, quae sunt a jure tuenda, amplificantur, simul jus criminale longius jam progressum est. Nec in juris criminalis cunabulis initiisque res ab hominibus gestae, quae vere sint, considerantur et aestimantur, scilicet tales, ut iis manifestetur hominum libertas ac voluntas sui haud inscia, sed solum apparent facta, quae in conspectu hominum posita sunt. Haec contemplatio rerum, quae ad jus criminale pertinent, tamdiu valuerit, quamdiu liberam esse voluntatem hominum nondum palam est, sed subjectam eam esse atque rectam putatur fato, quod evitare non liceat. Secundum theocraticam ut ita dicam considerationem, quom ab illo numine quasi inductus quis nec sine quadam ipsius voluntate mox bonorum, mox malorum praebuisset causam, illis iisdem factis aut bene meritum esse aut noxam eum dedisse et aut probum aut improbum esse, pronuntiavisse numen ipsum ac fatum videbatur. Ita enim hanc rem considerabant: numen potentissimum ac justissimum esse, quare homo iste, si quidem probus ac bonis moribus esset, scelus non commisisset.

Verum in jure, quodcunque sic facinus ipsum et visibilem violationem, ut ex nostro usu dicam, objectivam criminis partem animadvertit nec respicit voluntatem improbam; ea nimirum tantum facta, quae vere quendam violaverint, puniri posse

---

[1]) cf. etiam Rein, Crim.-R. der Römer p. 24 sq.

in aperto est. Jam propterea impunia esse conamina debent eoque magis ea conamina, in quibus in abstracto deest effectus maleficii vel ex quibus ne oriri quidem potest damnum.

Hoc quidem de jure vetustissimo, quo Romani, antequam XII tabularum leges erant promulgatae, utebantur, est statuendum.

Cap. I.

Jus Romanum.

Jus antiquissimum.

§ 1.

Quod de objectiva juris criminalis consideratione, quae inveniatur in initiis juris cujuscunque criminalis, diximus, veresimile quum videtur de jure antiquissimo Romanorum dicendum, tum comprobatur similitudine, quae in primis juris germanici temporibus invenitur aliarumque gentium antiquissimis institutionibus. Nec nobis obstabit, quod jam post primam legislationem alia obversari videtur ratio.

Duae enim leges Numae temporibus secundi quem ferunt Romanorum regis inveniuntur, quarum unam Festus in libro de verborum significatione v. Parrici quaestores: »si quis hominem liberum dolo sciens morti dedit, parricida[1]) esto,« alteram nobis tradit Servius Scholiographus in glossa ad Eclogam Vergilii IV, v. 43[2]): »sane in Numae legibus cautum est, ut si quis imprudens occidisset hominem, pro capite occisi et natis ejus in cautione offerret arietem.« Si verum est — et adhuc sub judice lis est — ad originis urbis tempora ideoque ad antiquissimum aevum spectare Numae regnum, deinde leges illas ab eodem latas esse; ex illis nimirum locis illico apparet, partim jam a Numa, num dolo vel culpa tantum homicidium[1]) quis admiserit, constitutam esse distinctionem, quippe qui graviorem illi casui imposuerit poenam eandemque publicam; partim tamen manifestum est, in veram ac consummatam vio-

[1]) In eodem quem retulimus, libro scriptum invenimus: »parricida non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcunque hominem.«

[2]) Idem ad Virgil. Georg. III. v. 387. cf. etiam Abegg, de antiquissimo Romanorum jure criminali p. 47.

lationem juris singulorum antiquitus animadverti. Quocirca non permittitur illo tempore conatum jam punitum esse ponere. Neque ideo profecto conatus illa species, conatus, qui fit rationibus inutilibus, legibus cautus fuisse videtur[1]).

Quamdiu hoc jus poenale in usu fuerit, non habemus, nec utrum in legibus XII tabularum receptum sit necne; usque ad XII tabulas vero hunc conatum poenis non sancitum fuisse, inde colligere possumus, quod eaedem ipsae leges puniendum esse illum negant.

Jus duodecim tabularum.

§ 2.

Quom igitur ad inspiciendum jus XII tabularum, quid de hoc casu statuant, nos vertamus, liceat nobis, paucis tantum disserere de ea conaminis specie, quae quanta nimirum de illius animadversione aut impumitate apud nos, seu secundum communem juris conscientiam seu ex legibus fit controversia; non apud Romanos tantum, sed etiam apud Germanos etiam tempore Constitutionis Criminalis Carolinae et per juris communis praxim usque ad nostra saecula, certa ac firma est ob singularem ipsius proprietatem, nempe de conamine superstitiosis opibus suscepto. Quamquam enim nostro aevo omnes consentiunt ea instrumenta inutilia, quibus effectu quolibet potiamur, et inepta esse; et qui antiquissimis temporibus et qui media, quae dicitur, aetate degebant, talibus opibus usos eventum deficere non posse putabant. Quam vulgarem opinionem, quom sit opinio quoque singulorum legumlatorum ideoque juri cujuscunque nationis supposita sit, observemus necesse est, quum id agamus, ut jura, qualia tunc fuerint, reconstruamus. — In lege imprimis XII tabularum — si quidem ex locis paucis, qui inde nobis restant, certum aliquid possumus colligere — tantum abest, ut instrumenta talia, utilia esse negetur, ut etsi oculis quidem nihil effici illis adhibitis percipiant, fuisse effectum tamen aliquid credatur. Persuasum enim ego-

---

[1]) cf. Rein, Crim.-R. der Römer p. 51, quae dicit de fide legum, quae ut ab Romulo et a Numa latae nobis traduntur.

met quidem mihi habeo, intuenti locum illum XII tabularum: »qui fruges excantassit, Cereri necator[1]),« quod Croppius contendit, etiamsi fruges non fuissent depertitae, ex lege illa debere puniri — id quidem hac lege non directis verbis reprobatur, sed ob id ipsum ex ratione veterum quidem interpretum, ex jure veterum commentaticio non hoc modo late hunc locum interpretabimur[2]), — minime gentium probatum videri sic: in contrario casu, si fructus deperditi fuissent, legem quia hoc non eveniat, nunquam locum habuisse et hunc casum semper semperque conatum esse ac simul tunc fuisse. Etenim id quod praemittit[3]), tum probari posset, si lex illa apud nos ac secundum nostram opinionem observanda esset, nec alioquin lata abstineremus interpretatione! At Romani fructuum deperditorum causam suspicabantur improbam infernorum imprecationem, causam dico eandem, ac certa nec dubia illis videbatur, quum quis, quem sica alter percusserat, spiritum exhalavit. Legem certo illam, quomodo sancta erat, apud Romanos quidem in usu judiciorum locum habuisse certum est; proculque dubio, si quidem verbum »excantare« observaverimus, ostenditur hoc loco, non solum posse fructum invocationibus infernorum deperdi sed fuisse jam aliquoties revera deperditos. Secundum decemvirorum igitur leges et, ut apparet, secundum eorum, qui antea degebant, opinionem imprecatio ceteraeque mathematicorum artes omnino dignae sunt, quae puniantur. — Idcirco ubi in jure Romano, in jure communi de conatu superstitiosis instrumentis tentato disseritur, conatus is est cum utilibus instrumentis ideoque alienus a nostro proposito. — Eodem modo vix video, cur in alio loco: »si malum carmen

---

[1]) v. Dirksen, Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik u. Herstellung des Textes der Zwölf-Tafel-Fragmente. cap. 15. tab. VIII. Fr. 8. p. 539—44.

[2]) Admonendi enim sumus, stricte jus civile veteres prudentes interpretari solitos esse.

[3]) Croppius Commentatio de praeceptis juris Romani circa puniendum conatum delinquendi Sectio II, p. 39. 64. cf. Ludenum: Abhandlungen aus dem gem. d. Straf-Recht I, p. 63. cf. Abegg, Der Aberglaube u. das Verbrechen, p. 374 sq., im Archiv des Crim.-R., Neue Folge. Jahrgang 1856. Pars III.

incantassit, parricida esto,« conatum homicidii cum inutilibus instrumentis intelligendum esse quis putare debeat. Primum quidem malum carmen, ut jam adjecto verbo »malum« apparet, utile et idoneum habetur instrumentum. Luden rectissime id quidem commemorat, quom alter in alterius perniciem inferna numina invocaverit, eundem illis devotum ac deditum sese jam esse credere, credere jus vitae valetudinisve jam obtrectatum esse. — Neque ex superiore casu neque ex hac lege conatum inutilibus instrumentis tentatum, si quidem e Romanorum mente ac sensu interpretari volumus, puniendum esse possumus statuere. — Nec alioquin nobis probatur, quod idem Luden theocraticas rationes illas longius[1]) secutus, eodemmodo, ait, actiones, quae, sicut incantatio illa, jura laedunt, puniri ac parricidium, quae cuncta scelera admissa sint in religionem ac superstitionem: »Die Versöhnung der beleidigten Gottheit war wohl der hauptsächlichste Gesichtspunkt.« Equidem talimodo de numine ejusque imperio homines cogitasse non putaverim, qui erant illorum temporum rudes et asperi mores. Non illum, quem Luden putat, deum infernum, qui auctor damni arcessitur precibus, sed illum potius arbitrarer magistratum Romanorum studuisse placare, cui res, quas ut deperderet, aliquis operam dedit, consecratae erant, sicuti in excantatorum fructuum crimine, quapropter Cereri tanquam dominae fructuum patronaeque agriculturae, is qui infernorum ope illos perempserat, immolari solebat, non secus quam in fructuum furto animadvertebatur durissime[2]). Neque ex hac lege puniendi illa, quam Luden contendit, ratio neque ex superiore loco, de quo ille scriptor in abusu tantum artium magicarum et imprecatione puniendo navatam esse Romanis operam dicit, derivari potest, scilicet ut, qui talibus imprecationibus offen-

---

[1]) cf. quae eleganter exponit de his rationibus Rein, Crim.-R. der Römer p. 25, inpr. 27 sq. et p. 26 Not. citt.

[2]) Abegg, de antiquissimo Romanorum jure criminali, Romanorum jus puniendi minime totum ex theocraticis rationibus posse derivari docet, cf. quem illic citavit: Welker, Die letzten Gründe v. Recht, Staat u. Strafe. 1813, p. 536. v. Abegg p. 32, Not. 43. p. 43. § 26 sq. § 28. Rein, Crim.-R. p. 27—36.

datur deus, placaretur. Ratio potissimum, ut malorum carminum incantatio capitali poena sicuti parricidium affecta fuerit, videtur fuisse crebritas, periculum, quod inde oriebatur, quodque malum parricidio i. e. illis temporibus homicidio proximum esse judicabatur; simulque claudestina erant haec flagitia, quibus obviam ire homines superstitione tunc in horrendum modum vexati ac territi summis opibus studebant. Dum igitur in illo loco ob excantationem demum, hic jam ob malum carmen adhibitum punitur eademque quidem poena. Dum in illo religioni adversante scelere ceterum leviore consummata demum actio, in crimine contra jus vitae concepto jam adhibitum instrumentum jam conatus criminis punitur, ac punitur — hic jam apud Romanos inveniri videtur principium — aequaliter ac crimen consummatum scilicet parricidium.

Leges XII tabularum — hoc enim jam ex iis, quae exposuimus, apparet — conatum homicidii utilibus instrumentis susceptum eodem supplicio afficiunt, quo consummatum interfectionis crimen. Hoc tamen concedendum est Ludeno in hoc casu de conatu tantum proximo posse dici, quandoquidem jam ex incantatione violatio ac damnum illatum esse credebatur. Propter haec testimonia etiamsi difficile est poenam conatus cujuspiam criminis in XII tabulis refutare, tamen quod Croppius quidem dicit, jamjam XII tabulas in criminibus puniendis ad voluntatem spectavisse et ob eam rem conatum inutilibus cum instrumentis puniisse, minime laudandum est. Hoc quidem ex aliis locis, qui afferuntur, veluti ex fragmento 236 de verborum significatione cognoscitur, quod ex Gaji libro ad legem XII tabularum depromptum est. Quodsi restitutionem, in qua tanta recte ponenda est dubitatio, comprobamus, tamen ex verbis, quae sic composita sunt, qui »malum venenum fascit duitve, parricida esto [1]),« delictum inutilibus instrumentis susceptum puniri posse deduci, vel contra, nec illud Croppio nec hoc Ludeno concedendum est, qui eandem restitutionem solummodo partim comprobat. Procul enim dubio epitheton malum veneno appositum, utile esse debere instrumentum signi-

[1]) Dirksen cit. p. 507 sq.

ficat et ex tali restitutione, si quis cum Croppio eam ab omnibus partibus laudaret, non impunem esse conatum remotum et remotissimum posset concludi. Nec cum Ludeno consentimus, qui ex hac lege praecipue ex hisce verbis: »qui venenum dicit,« ait Gajus, »adjicere debet utrum malum an bonum,« locutos esse decemviros interpretatur de malo veneno, et ea verba: »venenum malum« sola cum fide quadam restitui posse. Quod Gajus venenum — ac de suo, ut paret, aevo — ait »ὄνομα μέσον« esse, ita ut qui dilucide loqui velit, adjectivo quodam uti oporteat; inde non sequitur, ipsos decemviros hocmodo loqui et distinguere inter malum bonumque venenum voluisse. Eodem enim jure, qui Croppii facit partes, dicere posset, XII tabulas de veneno tantum locutas esse, quia in eum quoque, qui inhabili usus veneno crimen conatus sit, animadverti voluissent. — Omnis vero hujus legis de veneficis restitutio lubrica est semperque dubia erit, quia caret classico testimonio. — Omnes ceterae juris criminalis sanctiones, quae nobis ex XII tabulis relictae sunt; damnum corpori datum: Gaji Instit. lib. III. § 223, Gellii Nortes Atticae XX, 1 [1]) injuria, quae re, quae verbis committitur; carmen inprimis famosum, Cic. Rep. IV, 10 [2]): falsum testimonium, Gellii Nortes Atticae XX, 1, furti praecipue frugum capitale crimen: Plinii lib. XVIII, 3; arbores furtim caesae, perduellio l. 3 pr. (48, 4) Dig., ne ullum testimonium quidem perhibent, a decemviris omnino conatum nedum illum, qui fiet inutilibus instrumentis, esse punitum excepto illo etiam famoso carmine, cujus criminis non solum occentator, sed etiam qui carmen condiderit, quod infamiam faceret flagitiumve alteri (Paull. Rec. Sent. V. 4, 6) noxius fustuario supplicio afficiebatur. Ceterum Luden hoc loco recte commemorare videtur, poenam occentatoris ab auctore criminis famosi solummodo tum acceptam fuisse, quom carmen illud revera fuerit cantatum, neque in conatum illum fuisse animadversum laesione nulla illata. —

---

[1]) »Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.«

[2]) »Si quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri.«

In aliquot delictis ceterum, quae afferunt XII tabulae, omnino cogitari nequit de conatu: Praeter enim injuriam verbis illatam, in furto, quomodo distingintur a decemviris, manifesto secundum illius criminis notionem conatus non admittitur notio, neque ex natura delicti ac poenae privatae (v. Gaji Inst. III. § 198, § 190) vel compositionis datur conatus, qui proprie sit puniendus. — Deinde observandum est, qua cura, prope dixerim anxietate ad crimen non modo consummatum sed etiam — quod sane per se manifestum est atque ideo potuisset omitti in lege — ad convictum demum cujuspiam criminis poena saepius relata sit, ut in falso tectimonio: »qui falsum testimonium dixisse »convictus esset, de saxo Tarpejo dejiceretur«[1]), non secus in crimine quodam in religionem adversante: furto frugum nocturno; »suspensumque Cereri necari jubebant gravius, quam »in homicidio[2]) convictum; tandem objectiva illa quaedam ratio XII Tabularum, quae perspicitur ex poena injuriarum subsidiaria, quam dicunt, »ni pacit, talio esto«[3]), quamque Caecilium jurisconsultum contra Phavorinum philosophum apud Gellium defendere: »sed decemviri minuere et exstinguere volen»tes hujusmodi violentiam pulsandi atque laedendi eo quoque metu »coercendos esse homines putaverunt, quapropter inquisitio non »esset adhibenda ejus, qui membrum alteri rupisset et pacisci tamen »de talione redimenda nollet, an prudens imprudensve rupisset,« quum ad voluntatem malignam referri animadversionem simul contendat, quamquam minime neglectum habemus. Sufficit enim, quod ex contemtu satisfactionis pacticiae dolum inesse ei, qui facinus extrinsecus injustum perfecerit, praesumpserint, ut nos objectivam et exteriorem injuriam principaliter respexisse decemviros contendamus, nec alias, generaliter decemviros se abstinuisse diceremus a distinctione illa, qua jam Numae temporibus Romani uti videbantur, scilicet doli culpaeve; nec tamen hujusce rei argumento fragmento de incendio (47. 9) Dig. l. 9 uti auderemus, quod sane nullum argumentum esse luculente

---

[1]) Gellius, Noctes Att. XX. 1. Plinius XVIII, 3.

[2]) Parricida non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, »sed qualemcunque Nominem.« Festus v. Parries Quaestores.

[3]) cf. Dirksen cit. pg. 516.

Waechter[1]) dissertatione explanavit, qui illum locum, qualis sit, non posse ad decemviros referri demonstrat[2]).

Haec omnia, quae attulimus, clare docent, in XII tabulis objectivam tantum juris violationem fuisse punitam ideoque negari posse, negari debere, voluntatem solam in judicandis criminibus respexisse ac conatum generaliter poena sanxisse. Neque quod supra habuimus repertum, conatum interfectionis proximum, conatum deinde carminis famosi, interpretando in alios casus licet extendere.

Quae si omnia, quae de XII tabulis exposuimus, complectimur, decemviros in duobus quidem casibus conatum, quom vere damnum quod fuerit illatum, nec tamen eum, qui interfectionem inutilibus instrumentis vel contumeliam ausus sit, animadvertisse; quod ad alia vero crimina pertinet, nec conatum omnino, nec conatum, qui fiat imutilibus instrumentis damnasse contendimus. Ergo conatus inutilibus instrumentis susceptus generaliter impunis esse secundum legem XII tabularum videtur. — Quae postea latae sunt leges: lex Gabinia majestatis, lex Poetelia ambitus, lex Baebia Aemilia cum Cornelia Fulvia, ceterae nihil, quod hic nostra intersit, nobis praebent nec magis lex Calpurnia repetundarum.

Jus recentius.

§ 3.

Eo demum tempore, quando Sulla dictator reipublicae praeerat, recens facta est generalis legislatio, quae fundamento[3]) simul est juri apud Romanos criminali, quom quae sequuntur leges, Senatus consulta, Constitutiones in iis nitantur. Vetustissimi aevi illae leges: lex XII tabularum quasque citavimus

---

[1]) Waechter, de crimine incendii progr. 1833 p. 22 sq.

[2]) Non ego quae Rein, Crim.-R. der Römer p. 59—60 de duodecim tabulis contendit inprimis de incendio disserens, omnino possum probare, quamvis cum eodem prorsus consentiam de obscuritate juris antiquissimi p. 30 sq. p. 45 sq. cf. eundem, qui deterrere legibus decemviros velle a criminibus videtur p. 82. admodum post posuise. p. 85.

[3]) cf. Rein, Crim.-Recht p. 66 sq.

leges derogabantur lege majestatis, de injuriis, de sicariis et veneficis, de falsis et repetundarum.

Quom ne in hac quidem legislatione, qua cum posterioribus legibus et iis, quae legum vicem obtinent, conjuncta systema juris criminalis definitum ac conclusum animadvertimus, verbis claris dilucidisque, num crimen inutilibus instrumentis susceptum punitum sit, declaretur; inprimis, ut dinoscamus id principium, secundum quod apud Romanos omnino sit punitum, et in quantum sit illud observatum, constituere volumus. En quae sequuntur disserenda, utrum, quomodo supra distinximus, ex subjectivo apud Romanos, an objectivo principio leges poenales sint latae. Quodsi ex objectivis plerumque rationibus apud Romanos punitur, unde evenit, quae nihilo secus in jure Romanorum invenitur, poena conaminúm? Ubi tandem in jure Romano usus instrumentorum ad scelus patrandum inutilium sancitur poena?

Nullum dubium secundum omnia quae de jure Romano tradita sunt, et praesertim conveniens id est omnino juri Sullanico ex vetustiore jure derivato, quod de perfecta demum violatione propter improbam voluntatem ex Sullae temporibus poenam sumebant neque ideo comprobabant mere subjectivum principium, quo voluntas sola manifesta spectatur, non respicitur actio qualiscunque.

Ita a Claudio Saturnino in fragmento, quod ex illius scriptis solum compilatores attulerunt, nobis vero gravissimum argumentum, l. 16, § 8 Dig (48. 19), haud dubie objectivae criminum parti maximum momenti attributum esse invenimus. Etenim Sullanicae legis cujusdam nominatim spectato principio: »eventus,« ait, »spectetur, ut a clementissimo quoque facta, »quamquam lex non minus eum, qui occidendi hominis causa »cum telo fuerit, quam eum, qui occiderit, puniat.« Tantum enim abest juris consultus, ut hanc puniendi rationem vituperet, ut idem objectivum principium adhibitum esse apud Graecos sine ira referat ex Homero Theoclymenem[1]) ut hu-

[1]) Il. XXIII. v. 85. cf. (48. 19) Marcianus, poenis l. 11, § 2: »delinquitur casu« ad fortuitum casum a Graecis punitum.

jusce rei exemplum citando. Nihil sane refert, num delictum privatum an crimen extraordinarium an crimen publicum sit; dein actio legibus vetita factum an dictum an scriptum — etiam consilium hic proponitur, ut exponendum nobis erit — fuerit, quom non levissimi sit momenti quod Saturninus hoc loco in exponendis poenae conditionibus non quomodo nos solemus, distinxerit; alterum systema nobis in l. 16 pr. cit. refertur proprium Romanorum in jure criminali, quo satis probari potest Romanos in jure poenali solitos esse actionem, qualis sit, intueri. Nec fiet, ut ex loco, quem modo attulimus, consilium quoque in quibusdam violationibus puniri pronuntiante, quisquam colligat Romanos generaliter in voluntatem solam improbam saeviisse. Etiamsi enim exempla, ut conjurationes et latronum conscientia quosque alios suadendo juvisse, improbam et manifestam voluntatem puniendam esse ostendunt, tamen certae eae sunt actiones, in quas jus positivum animadverti vult, quaeque, quamvis logice ad crimen ejusdem generis consummatum, puto necem, latrocinium spectent, crimina propria semel in jure criminali ponuntur, quibuscum non permittitur conferre alios casus, qui legibus non sunt respecti. Ceterum dilucidius antithesi consilii adversus tria alia criminum genera: »facta, dicta, scripta,« quae ab jurisconsultis omnino recepta videtur[1]), demonstratum est, consilium non tantopere fuisse in discrimine positum, ut Romani id aequiparaverint simul omnibus ceteris causis, quibus efficitur delictum corpusve delicti; sicuti nobis nimirum secundum nostram, quam soliti sumus observare distinctionem, haud injuria libet suscepta crimina consummatis opponere criminibus. Nam ut taceamus de ordine, quo in systemate consilium est causa criminum denominatum, ipsum systema: »factum, dictum, scriptum, consilium« satis ostendit non permagno momento esse posse consilium[2]) in jure criminali. Quo accedit quod

[1]) l. 52, § 19. Ulpianus (47. 2) »neque verbo, neque scriptura quis »furtum facit, quare et opem ferre et consilium dare tunc nocet, quum »secuta contrectatio est.« l. 1, § 1. Ulpianus (47. 10). Paullus Rec. Sent. V. 29, § 1 de crimine majestatis, Tacitus Ann. l. 72.

[2]) Gellius Noct. Att. lib. 7. cp. 3: neminem »qui male facere voluit, »plecti aequum esse, nisi quod factum voluit, etiam fecerit.«

dictum est de exemplis, quae talium criminum afferuntur, criminum vice tantummodo fungi: ait enim, »sceleris est instar.« — Nec de animadvertenda sola improba cogitatione cogitasse Romanos, loco illo noto l. 18 (48. 19) Ulpianus satis ostendit ac multi alii: Ulpianus denuo (2. 2) Dig. l. 1, § 2; (3. 2) Gajus l. 3; (47. 2) Paullus l. 1, § 1; cf. c. 14. 20 de poenitentia, dist. 1, praeterea Gell. N. Att. 7, quo Cato nobis testimonium perhibet, neminem poenas dare, quod argnatur male facere voluisse. At Seneca hunc in modum casum multo nostrae quaestioni simillimum decernens, sicuti Gellius idem exigua tantum est apud nos auctoritate, quum sane alii exstent auctores, qui secundum ipsorum opinionem ac theorema alia nobis referunt: Sic in rationem dicti Hadriani, quod infra contemplabimur, Servius ad versum Vergilii in Aeneide lib. VI, »ausi omnes immane nefas ansoque potiti:« »secundum ritum, »inquit, Romanorum, in quo non tantum exitus punitur, sed »et voluntas,« quod Bynkershoekins non merito dissolvere mihi videtur[1]) exitu ac voluntate coeuntibus demum poenae locum esse; nec altera mihi placet sententia, Romanos non solum ob casum sed etiam ob effectum voluntate agentis admissum puniisse; quin etiam Cicero, quanta auctoritate alioquin utatur, in oratione pro Milone; »non exitus rerum,« inquit, »sed hominum consilia vindicantur.« — Quod vero Croppius c. 1. Cod. Theodosiani (9. 26), legem Juliam ambitus, »neque aliud inter coeptum ambitum atque perfectum »interesse arbitretur, cum pari sorte leges scelus, quam scele»ris puniunt voluntatem,« deinde citaverit imperatores quoque Arcadium et Honorium in c. 5 Cod. ad legem Juliam majestatis; hae, Sanio[2]) et Bynkershoek[3]) recte dicunt, nil nisi excusationes sunt imperatorum de animadversionibus exasperandis. — Attamen ut sententiam, quae nobis opposita est, pror-

[1]) Corn. van Bynkershoek observ. jur. Romani. 1723 lib. III. cap. 10. Sanio l. c. ad legem Corneliam p. 95.

[2]) Observatio ad leg. Corneliam de sicariis p. 80 ff.

[3]) Cornelius van Bynkerskoek observationes juris Romani lib. III. c. 10. cf. ad illos Cropp. Commentatio de praeceptis juris Romani circa puniendum conatum delinquendi 1813. sect. I. p. 100.

sus dissolvamus, recurrendum nobis est ad dictum illud Hadriani, quo loco magni momenti est, maleficium quid significet, constituere. — Verbo maleficii invenimus appellari injuriam, (47. 10) Ulpianus l. 47, § 4; (47. 2) Paullus l, 53 pr.; furtum deinde (47. 6) Gajus l. 1; (47. 7) l. 7, § 5 Ulpianus; (50. 13) Gajus l. 6; dein delictum omnino privatum vel etiam quasi delictum, puta si judex litem suam facit, cf. l. 51, § u. ad leg. Aquil. (9. 2) Julianus; Ulpianus l. 18, § 1 jud. (5. 1); Gajus l. 5, § 1. 2. 4. O. et A. (44. 7); (4. 5) I. oblig., quae quasi ex del.; Marcianus l. 2 carbon. ed. (37. 10); Gajus l. 70, § u. fidej. (46. 1): etiam crimen extraordinarum; ac quum ex aliis locis verbo maleficii quamque rem improbe gestam et flagitium significari appareat, veluti Ulpianus (47. 2) pro socio l. 52, § 4; l. 53. 55, Pomponius l. 54; l. 70, § u. fidej (46. 1) Gajus; l. 20 O et A (44. 7) Alfenus; Ulpianus l. 24, § u. pign. actione (13. 7); in edicto Hadriani ipsius (47. 14) abigeis l. 1 pr., notio tamen propria ac singulariter juridica quaedam negari nequit. Ceterum propria significatio, quam nimis quidem Bynkershoek[1]) urget, scilicet »artes magicae« legibus prohibitae in Codice Theodosiano, Justiniano, etiam in legibus barbarorum haud dubie invenitur. Praeterea enim vocabulum etiam delictum privatum significat in specie, id quod quum ex locis superioribus perspicitur tum ex perpetua ad furtum et ad noxam relatione; (47. 10) injur. l. 17, § 4 Ulpianus; Ulpianus (47. 6) si familia furtum l. 1 pr.; idem (47, 7) l. 7, § 5, quae quidem notio prope adest crimen extraordinarium. Qua ex re sequitur, ut in interpretando Hadriani rescripto l. 14 ad legem Corneliam (48. 8) Callistratus: »divus Hadrianus in haec verba rescripsit: »in maleficiis voluntas spectatur, non exitus« non sit necessarium colligere, Hadriano postque eum Callistrato jurisconsulto in omnibus simul criminibus — vel tamen, quomodo Cujacio[2]) sine ulla ratione libet, utique obtinere id in gravioribus, non in levioribus —, visum fuisse: animum pro facto accipi; electioni potissimum sit locus, de

[1]) cf. Abegg, der Aberglaube und das Verbrechen. p. 386 cit.
[2]) L. 15. observ. c. 25.

qua maleficii notione ambo cogitaverint, Hadrianus atque jurisconsultus. Ceterum a priori contendimus: etiamsi verbis cogeremur de omnibus criminibus hic scriptum[1]) esse pro certo sumere, non tamen generalem attribuere vim huicce loco possemus, quum satis pro experto habeatur, saepenumero de quibus dam rebus non modo ab imperatoribus legumlatoribus sed etiam ab Prudentibus latioribus, quam decet, verbis disseri. — Maleficii primum si sensum ampliorem spectamus et in conjunctione ea posita esse sumimus, quae hoc loco dicta sunt, cum ceteris hoc in titulo legibus excerptis, minime gentium in sententiam pedibus ire licet multorum, qui alias de instrumentis idem ac nos arguere student, quippe qui hic distinctum esse volunt, num laesio dolosa, vel culpa tantum illata vel nec voluntaria sit. Sic prorsus nobis vulgaris[2]) exstaret sententia, quae forsan illam, quam restare adhuc ex objectivo principio cf. l. 16, § 8 poenis (48. 19) veterum alii dicerent, plane dissolveret, scilicet: ex temporibus D. Hadriani non jam apud Romanos culposam violationem dolosae esse aequiparatam; sed si modo quod l. 13 et l. 15 disseritur, stricte consideraverimus, — quom negligere illas, recurrere[2]) ad posteriores inferioresve non liceat — apparebit horrendum illud, in omnibus criminibus non id agi, num consummata sit injusta actio, sed num quis improbam voluntatem tantopere manifestaverit, ut paraverit instrumenta (nocna ideoque habilia ad consummandum flagitium). Tum conatus generaliter esset puniendus nec quidem is, qui fit instrumentis cum inutilibus — quia mala sacrificia[3]) tunc temporis habilia ad necandum, ad violandum omnino opinabantur —, sed tamen conatus remotus ac praeparatio delicti. Adhibere enim nocua instrumenta (l. 13),

---

[1]) cf. l. 14 cit. c. l. 1, § 3 eod. ti. cf. Cropp. l. c. de praec. juris Romani circa puniendum conatum delinquendi p. 36. cf. quae diligenter exponit Rein, Crim.-R. p. 128.

[2]) cf. Sanio ad legem Corneliam p. 99. Not. 5f. cujus in sententiam descendit Luden quoque, qui confert hunc locum cum l. 53 pr. (47. 2) cui eandem significationem minime jure attribuere videtur. I. p. 25 sq. Abhandlungen aus dem Strafrecht.

[3]) l. 13. h. l.

causam omnimodo occidendi praebere vel omnino laedendi ex hoc tempore puniretur aeque ac laesio consummata, nec jam illud, quod legimus l. 16, § 8[1]) (48, 19) in systemate juris criminalis dictum: »quamquam lex« (scilicet Cornelia), non minus eum, qui occidendi hominis causa cum telo fuerit, quam eum, qui occiderit, puniat,« exceptio esset sed regula, quia voluntatem ubique spectari jubebat Hadrianus.

Ut de hoc taceam, quod alterum principium: »eventus vel exitus spectatur,« in titulo longe posteriori quam rescriptum divi Hadriani dictum est, quod in jure Justinianeo non levis est momenti, hoc praesertim annotandum est: Hadrianum non generaliter, quamquam sic locutus sit, cogitasse omniumque flagitiorum jam praeparationes punitas voluisse testatur locus ille, qui est in titulo de poenis, quo Saturninus, qui post imperatorem illum vixit, ex professo de systemate ac principiis juris Romani disserens decisionem legis Corneliae, quae quidem firmatur rescripto illo sub ipso legis Corneliae titulo, derogationem et exceptionem principii generalis esse confitetur: »eventus spectatur,« nec tanti momenti mihi esse videtur, quod hic jurisconsultus subjectiva, ut ita dicam, ratione dicendi, modo conjunctivo utitur: spectetur.

Sin vero notionem, quae singulari quodammodo sensu dicitur, maleficii, quomodo refertur in ti. Cod. Theod. et Justin. de maleficis et Mathematicis, uti Bynkershoek eandem adhiberi vult, »quod evidentem habeat rationem, cum exitus in hisce fere sit nullus,[2])« secuti erimus, mirabimur sane, cur tanta emphasi haec sententia sit prolata! Ex diverso id concedendum est, quod hoc idem, de quo Bynkerhoek[3]) loquitur, exstinguere quoque hominem veneno complectitur, ut

[1]) Diligenter de illo loco loquitur Zachariae, die Lehre vom Versuche der Verbrechen. § 186 sq. Nec negligenda sunt quae Abegg adjicit in Kritische Jahrbücher für Rechtswissenschaft. Jahrg. V. 1841. pg. 55.

[2]) cf. C. 20 de poenit dist. I. in med: »discernuntur a maleficiis ea, quae de jure effectum desiderant, in his enim non nisi animi judicium consideratur.« Apul. Flor. L. V. »in maleficiis etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc vindicantur, cruenta mente, pura manu.«

[3]) Idem defendit Lelièvre de conatu delinquendi p. 70.

ex l. 1 Cod. eod. ti apparet; neque dubitatur, quin omnino hoc periculosum sane, quod putabatur, scelus ab lege Cornelia parum abhorreat cf. Paullus Rec. Sent. V, 23 inpr. § 14, Basil. l. 60. ti. 9. item. Cod. Theod. l. 1. quorum appellatione l. 8 de indulg. crim. l. 6 eod. ti.

Tertia earum, quas attulimus, notionum, quidem non congruit, ut duae priores, conglutinationi loci cum titulo universo, qui est de lege Cornelia nec cum fragmentis, quae et praecedunt quaeque sequuntur. Consideremus autem in ceteris juris, quod traditum est in corpore juris, criminalis partibus non inveniri generale ejusmodi dictum, secundum quod conatum remotum puniendum esse adhibito quidem ampliore verbi maleficii sensu colligi potest; e contrario, non modo unum, quod attulimus, fragmentum sed fere omnia argumento esse conaminis, nedum conaminis remoti secundum juris Sullanici regulas non generaliter sanciti, deinde et sententia, quae ab aliis artiore quadam maleficii notione adhibita proferatur, non prorsus satisfieri; neve id omittamus eandem sententiam, ac qualem Hadrianus l. c. proclamet, mutatis tantummodo verbis ab jurisconsulto ejusdem aevi, quo vixit Callistratus, quo paullulum minor fuisse videtur, sc. a Paullo, a viro tantae auctoritatis relatam ipso de maleficio dictam artiore quidem, quem supra adoptavimus, sensu l. 53 pr. furtis (47. 2); quid nos, quippe aversantes simplicissimo uti subsidio scilicet restricta leviter interpretatione, quid nos impediet, quin compilatores in conglutinatione ista negligenter se gessisse contendamus et in hoc edicto quoque secundum Paulinum illud fragmentum de delicto privato fuisse cogitatum statuamus? Praesertim illi, qui generalem hic pronuntiatam esse regulam juris Romani pro certo sumunt, compilatores, jus Cornelianum ac jus veterum commenticium inaudite sane breviter et inconcinne stirpitus eversum fuisse, hocce edicto exponere confitebuntur. Quod sane multo minus accipiendum videtur, quam studio proverbii illius quoque referendi commotos eos posuisse illud tali loco, quo non prorsus apte est ponendum, quia alio sensu maleficium adhibitum ab Hadriano quidem videtur. — Quod ad Paulinam illam legem pertinet: »qui injuriae causa januam

effregit, quamvis inde per alias res amotae sint, non tenetur furti; nam maleficia voluntas et propositum delinquentis distinguit«, summo jure in quaestione, utrum unius an alterius delicti privati sit locus, haec sententia obtinet, id reputandum esse in animadversione, si effectus facinoris in diversa flagitia, — quod praecipue in contrectationis et actionis injuriosae notione admodum incerta evenire infra adhuc exponemus — spectet, id reputandum esse dico, quo animo, qua voluntate nefarius rem ad exitum perduxerit. Hac enim demum maleficium, delictum privatum significari: Dum igitur jus veterum ex mere objectivis rationibus effectum solum respiciebat, jam jus criminale Romanorum posterius in eo est, ut in delictis privatis voluntas respiciatur! Hocmodo regula de privatis tantum delictis ab Hadriano videtur lata. Haec quidem a principio, quod Romano in jure inveniri persuasum habemus, objectivo minime abhorret, consummata tantum violatione et exstante objectiva criminis demum parte puniisse Romanos. Quamquam ex causa illa, quam jam praemonuimus, deinde propter id, quod in delictis privatis, quandoquidem non tantopere a jure privatorum elegantissime ac subtilissime exculto aliena sunt, diligenter principia quaedam observata fuisse videntur, illam Hadriani Paullique regulam hic tantummodo obtinuiisse veresimile est; non tam tenaciter argumento illo, quod dicunt, e contrario niteremur, qua nimirum cum cautione quadam ac moderatione uti in interpretando corpore Juris licet, et concederemus etiam in aliis juris violationibus voluntatem et finem quo tendat, respiciatur necesse esse, ita ut exempli gratia quae sit voluntas ejus, qui incendium fecisse dicatur, inquisitum sit. Haec quidem alia quaestio. Ergo sententia: »in maleficiis voluntas spectatur;« »maleficia voluntas et propositum distinguit« nil significat nisi: Romanos in animadvertendis delictis et forsan criminibus quoque extraordinariis improbam voluntatem spectavisse[1]); inquisivisse,

---

[1]) cf. Kritische Jahrbücher für Rechtswissenschaft, I. Jahrgang p. 45. ad Luden, Abhandlung aus dem gem. d. Str.-R. V. Jahrgang 1841, quae Abegg de Zachariae libro: Die Lehre vom Versuch der Verbrechen. p. 53. p. 54 exponit.

qualis sit quoque tendat, ac demum secundum id animadvertisse effectum, crimen consummatum. Quidquid tamen est, sive in illo loco una, sive altera, sive tertia insit notio, dein sive ex illo loco principium subjectivum, cui jamjam inter cetera satis obstat, quod poenitentia non observatur in jure Romanorum criminali; sive objectivum quodammodo principium apparet, hoc quidem pro certo habemus ac pro experto, quod supra jam attulimus, saepenumero juris Romani quum scriptores tum etiam jnrisconsultos classici aevi, quod dicunt, non accuratissimis semper verbis modo ampliori modo artiore loquendi genere usos esse ideoque locum huncce non magno in discrimine ponendum esse. Cui enim, ut exemplo alio ex jure criminali utar, in mentem veniet Justiniani quoque in c. 5 ad legem Juliam (9. 8) dicentis: eadem severitate voluntatem sceleris, qua effectum puniri jura voluerunt, ejusque loci in alios quoque casus transferendi?

§ 4.

Neque tamen, quamquam paullulum longum est, facere possumus quin objectivum illud, quod contendimus, principium in singulis quoque criminibus expressum esse demonstremus. Jam dictum est l. 1, § 2 quod quisque juris (2. 2) ab Ulpiano: »quod statuerit« ne verbotenus sit accipiendum, sed tum demum existere, quom effectus decreti adsit, res perfecta, injuria consummata sit. Quae si solummodo coepta sit, »si quom vellet statuere prohibitus sit,« non posse dici statutum esse. »Quid enim,« ait ille, »obfuit conatus, quom injuria nullum habuerit effectum!« Quod quidem Prudentem illum in iisdem libris III. ad edictum, quibus Fr. 18, Dig. (48, 19) inveniatur, scriptum esse bene notandum est. — Quod ad vera delicta, inprimis ad furtum attinet; contrectationis, quam concisa et accommodata sit singulis casibus expositio ejus notionis, recordemur: arborum praesertim furtim caesarum (47. 7) Paullus l. 5 pr. Saepius enim dictum invenimus, furtum si quis arguere velit, partim contrectatione perfecta opus esse (47. 2) h. t. Ulp. l. 21, § 7; (4. 1) J. oblig., quae ex del. § 8; l. 43, § 5. Ulp. h. t.; l. 10 Ulp. l. 11, h. t. Paull. l. 67 pr. Celsus, quod nullo quidem alio exemplo clarius dilucidiusque potest

explanari, quam l. 21, § 8 h. t. Ulp. (involucrum tollere), deinde Gaji lib. III. Inst. § 198. Tryphonius de VS. l. 225; partim objectivum criminis corpus solum non sufficere cf. Gaj. III. § 197. § 1, 7 oblig. quae ex del. (4. 1); l. 47, § 7 h. t. Ulpianus; l. 76 pr. Pomponius; cf. Gellium Noct. Att. L. 11, 18; ad crimen, sed exsistere oportere voluntatem et affectum in crimen illud tendentem; »nec enim factum quaeritur, sed causa faciendi« i. e. animus lucri faciendi l. 43, § 7, 8 Ulpianus; l. 22 pr. Paullus et inprimis § 1, l. 82, § 2; sed in furto jamjam voluntati non tantum momenti attribuerunt, ut, ni plane et aperte ad objectum furti tendat, possit evertere corpus delicti, quibus in casibus id quod alibi pronuntiatur: »plus est in re, quam in existimatione« locum habet: l. 21, § 2. Ulpianus h. t.; nec errorem in corpore nec in persona domini nocere quidquam creditur l. 43, § 4. Ulpianus: »nihil enim ad furtum consummandum facit, quod cujus sit, ignoraret«, utique Pomponius l. 77[1]) furtum adesse dicit, quom desit animus furandi sacci, nec tamen ex hoc unico fragmento multum affertur adversus sententiam nostram. — Quamquam non negamus inter jurisconsultos, qui tunc temporis vivebant, inter Neratium (?) vel forsan Sabinum (Gellius Noctes Atticae L. 11)[2]) Papinianum (?) (47. 19) expil. hered. l. 6. Pomponium et in altera parte Labeonem, Paullum, Ulpianum et inter antiquos Prudentes omnino altercationes fuisse, haud immemores frag-

---

[1]) cf. vero Paullum l. 22, § 1 h. t.

[2]) Magnopere dubito, num loco illi fides attribuenda sit, cf. (41. 4) Paull. pro emt l. 2, § 2; deinde Gajus, a quo ille »praeceptor noster« appellatur, alteram amplecti videtur sententiam. Locus apud Gellium lib. XI c. 18 hicce: »Verba Sabini libro juris civilis secundo: »Qui alienam rem attrectat, cum id se invito domino facere judicare deberet, furti tenetur.« Item alio capite: »Qui alienum jacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scit, cujus sit, sive nescit.« Haec quidem sic in eo, quo nunc dixi libro Sabinus scripsit de rebus furti faciendi causa attrectatis. Sed meminisse debemus, secundum ea, quae supra scripsi, furtum sine ulla quoque attrectatione fieri posse, sola mente atque animo, ut furtum fiat, annitente. Quocirca ne id quidem Sabinus dubitare se ait »quis dominus furti sit condemnandus, qui servo suo ut furtum faceret, imperavit.« —

menti l. 46, § 8 Ulpianus ad Sabinum; (47. 19) cit. l. 6 Papinianus (?) ad Neratium; l. 43, § 5, 6. u. Ulpianus ad Sabinum; Gaj. III. § 198, ac tandem (4. 1) I. l. c. § 8; ita ut subjectivum principium ab nonnullis non solummodo de furto, sed etiam certe de aliis delictis defensum fuisse appareat. Verum si, quod Ulpiano eodemque Paullo, qui etiamsi doctrinam quam dicunt emendationis secutus esse videtur, principium objectivum, ut juri Romano aptissimum defendebat, ac multis aliis placebat, in jure Justiniano receptum esse vix infitiandum est, ex diverso tamen quod Justinianus (4. 1) I. l. c. § 8 et in c. 20, C. furtis (6. 2) in una quadam furti specie sententiam tulit, quae ab illorum sententia abhorret, haec ipsa decisio, ut Justinianus: »licet non secundum,« inquit, juris regulas sit, nil nisi exceptio est ob hancce rem statuta, »ne ex hujus impunitate et in alium servum, qui facile possit corrumpi, tale facinus a quibusdam perpetretur.« Quin etiam, quamquam minime corruptus sit a sollicitatore servus, tamen actione servi corrupti calliditati obviam ire Imperatori libet! —

Eadem vero ratio, quam de furto inprimis l. 52, § 19 declaratam observatamque invenimus, in damno injuria dato nobis occurrit (9. 2) l. 27, § 17 Dig. lege Aquil: Ulpianus; in injuriae delicto (47. 10) h. t. l. 10 Paullus; l. 15, § 2 Ulpianus; item l. 15, § 17. 18: aliqua re gesta opus esse; nec mirum est, et in hoc delicto sufficere actionem qualem qualem, quae possit reduci ad voluntatem improbam (cf. l. 13, § 1), quum mera vero actio, quae animo injuriandi careat, puniri nequeat l. 15, § 23 h. t. Ulpianus; l. 26 Paullus; nec tamen voluntas hic quoque tanto in discrimine est ponenda, ut respici debeat error in persona l. 18, § 3—5 Paullus. Nam hic quoque, quod saepius, dicendum est: »plus est in re quam in »existimatione mentis« (cf. eundem (41. 4) pro emt. l. 2 § 15)!

Deinde in delictis publicis, in lege potissimum Julia majestatis voluntatem in actione respiciendam esse, (48. 4) h. t. Modestinus l. 7, § 3: procul dubio pronuntiatur, quom »lubricum linguae non facile sit imputandum.« Si vero Paullus ipse (48. 8) leg. Corn. l. 7: »in lege Cornelia dolus pro facto accipitur, neque in hac lege culpa lata pro dolo accipitur;«

nec in hoc loco argumento e contrario uteremur, ni Paullus ipse principium objectivum secundum quod consummata tantum crimina punienda sint, saepius proclamasset, ac deinde Saturninus quoque, ut docuimus, hanc esse exceptionem declarasset: »quamquam lex non minus eum etc.« Vix igitur est, quod in alio legis ejusdem articulo sc. de falsis ac deinde in Sc. Liboniano Africanum alterum quidem Ictum, qui alterius fuisse factionis videtur, crucem interpretationis, ut ita dicam, nobis afferentem miremur. Fragmentum illud Africani (48. 10) lege Corn. de falsis l. 6 pr. poenam hujus legis tum locum habere pronuntiat, quom in aliquo testamento — »prius enim oportet esse aliquod testamentum vel non jure factum, ut Senatusconsulto locus sit« — ut ipse vult, perfecto i. e. extrinsecus quod vitiis careat, ita ut interdictum de tabulis exhibendis locum habeat, fuerit adscriptum; nec referre, num jure effectum habeat necne, seu quia nullum sit ab initio seu ruptum postea. Testamenti enim nomen obtinere in illis quoque casibus, contra quod vero conferamus necesse est VS. Paullus l. 221, deinde (43. 5.) Ulpianus tabul. exhib. l. 1, § 5 ac praesertim eundem (29. 3) testam. quemad. aper. l. 2. § 1. — In promptu est, hic dici, in adscribentem, quamvis legatum inutile sit, commodumque ex adscriptione non possit parare, poenae tamen legis Corneliae locum fore. Quod quidem, etsi minime cum aliis, quae in hoc titulo inveniuntur, decisionibus congruit, per speciem tantummodo in subjectivum incidit principium, animum adscribendi sufficere, nec considerandum esse effectum, qui casibus opportunis facillime prohibeatur, per speciem dico, ille locus alterum loquitur principium. Nam testamentum perfectum ne Ulpianus quidem abusive nominatum testamentum esse profiteretur, cui subditum aliquid, quod a vera testatoris voluntate abhorreat, sufficere in crimine falsi ex natura ejusdem delicti satis apparet. — Verum in lege l. 38, § 6 (48. 19) poenis Paullus; inprimis l. 22, § 1 lege Corn. de falsis (48. 10) idem, parens adscriptor in compendium filiifamilias, qui apud hostes captivus est, punitur, dummodo ille in eo est, ut commoda possit capere. Alioquin pater innocens habetur. Eodemmodo ex § 4 l. c., qui bona fide servienti dominus adscribit, solummodo quoad cogitationem nocens vide-

tur. Criminis igitur adscriptionis nondum arguitur, quia effectus criminis, quom bonae fidei hominis possessor per eundem neque legatum, neque hereditatem adipiscitur, adesse nequit, dum in § 6 etiam indirecta adscriptio, animo quidem adscribendi exstante, locum dat poenae, et omnino, quae in illo fragmento Paullus ex professo de hoc crimine disserens exponit § 7, § 10 etc., satis demonstrant non tam interesse, qualis sit actio secundum logicam Senatus consulti interpretationem, quam ut dolo malo scribendo sibi quis ex testamento commodum paraverit. Inexplicabilis videtur mihi cum multis aliis haec jurisconsultorum dissensio. Utrius autem sententiam quis sequetur, non aberratum esse contendet a principio objectivo, quod alias obtinere in jure Romano invenitur, quum de hoc mihi tantum inter Africanum ac Paullum discrepare videatur, quid in lege Cornelia ac Senatusconsulto Libonniano testamentum significet. Objectivae enim criminis parti quantum momentum in jure Romano infuerit, si arguendus ac puniendus quis sit, non modo satis dilucide loci, quos contulimus supra, demonstrant, sed etiam aliis rebus dinoscitur: Non solum, quod vix necessarium est commemorare, ex modo et amplitudine admissi poena dabatur, quod in loco illo dictum est, quo systema juris criminalis Romani exponitur: »haec quatuor genera consideranda sunt septem modis: causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu;« sed etiam factum proprie in processu respiciebant, ut in actionibus extrinsecus justis: (47. 10) inj. Ulpianus l. 13, § 1, § 9: qui jure publico utitur, non videtur injuriae faciendae causa hoc facere, juris enim executio non habet injuriam; ita in actionibus extrinsecus injustis (48. 8) ad leg. Corn. Marcianus l. 1, § 3: »ex re constituendum hoc.«

Ergo exposuisse nobis videmur, Romanos in puniendis criminibus non solum improbam ac manifestam voluntatem spectavisse, sed effectum actionis consummationemque criminis nec certe principium mere subjectivum secutos esse, sed principium quodammodo objectivum.

§ 5.

Quali ex principio non admittitur generalis conaminum animadversio; sed consummata juris violatione opus est. Ve-

rum si in nonnullis criminibus ea quoque facta, quae conatum criminis nos quidem hoc tempore et appellare et animadvertere consuevimus, subjecta animadversioni apud Romanos videmus haec omnimodo stat sententia, jus illud esse singulare nec posse tam ex communi omnium rerum ratione, quam ex formali ac stricta ratione legum apud Romanos[1]) ferendarum in alia crimina, ubi non sunt similia sancita, extendi. Ut in XII tabulis in duobus haud dubie casibus, deinde, quod veresimile est, in usu judiciorum publicorum jam obtinet, conatus pari poena ac consummatum crimen sancitur. Jam ex hac re ad veritatem prope accedit, Romanos, quum suscepta tantum crimina animadverterent, non tam justitiam observasse eamque secutos esse, quam alias rationes. Quis enim est, qui nunc quoque infitietur, rationem juris ac justitiae prohibere, quin conamina et crimina consummata sine ullo discrimine aestimentur ac puniantur? Attamen hoc utique in promptu ponendum est, si Romanos aliis, quam justitiae, rationibus inductos in singulis tantum criminibus in conatum animadvertisse constat, conatum inutilibus instrumentis susceptum, nullo quidem, aliter rem se habere, exstante testimonio, impunem esse.

Quae in jure criminali antiquissimo generaliter observabatur ratio, eadem videlicet valebat ac manebat in iis delictis, quorum poenam postulare in voluntate ejus, qui acceperat damnum, positum erat. Nec enim conatus, ut supra vidimus, punitur in delictis privatis. — In criminibus vero extraordinariis tales actiones, quas nos conamina appellare solemus, punitas esse animadvertimus: »sollicitationem alienarum nuptiarum itemque matrimoniorum interpellatores,« ut explicatur, propter voluntatem perniciosae libidinis,« »stuprum imperfectum, conjurationes (cf. l. 16 pr. Saturninus de poenis 48. 19) latronumque conscientiam;« et animadversio horum criminum modo eadem secundum regulam, modo minor, ut in stupro est, quam quae de consummato crimine infligitur.

---

[1]) cf. Lelièvre de conatu puniendi p. 37, cui consentit plane Mitterm. N. Arch. X p. 543, nec minus Sanio ad legem Cornel. de sicariis. Regim. 1827. p. 86—112 cf. eodem loco p. 86, p. 107. Rein, Crim.-R. p. 126, 130, singula crimina ac delicta proponentem.

In criminibus publicis invenimus »consilium initum, solam utique voluntatem ac cogitationem[1]« (lex quisquis) ex lege Julia majestatis punitam in lege Julia de vi publica »habere, cogere arma, tela domi suae agrove in villa, praeter usum venationis commercii, praeter rem hereditariam,« deinde »consilium turbae seditionisve faciendae initum, armatos homines habere« pariter lege poenali observata ac crimen vis publicae consummatum; deinde in lege Cornelia »occidendi furtive faciendi causa cum telo ambulare,« quod Saturninus derogationem principii declarasse nobis visus est, deinde in eadem sanctione »venenum vendere vel emere,« si Ciceronis[2]) in oratione pro Cluentio c. 54 auctoritatem sequimur, »et habere« conficere, dare hominis necandi causa, pecuniam accipere, quo quis reus fiat criminis capitalis, cui legi adrogatur Sc. Prisco et Annio Vero Css.: »familiam domino sciente arma sumere modo recuperandae, adipiscendae possessionis: deinde in lege Pompeja »emere venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit;« in lege Julia ambitus similia; in Sc. Liboniano, quod additur lege Corneliae de falsis »societatem ad defraudationem innocentium, pecuniam accipere ob dicenda falsa, corrumpere judicem« et caetera. — Neglecta illa, quae jam communi doctorum opinione rejicitur, distinctione criminum atrocium, atrociorum, atrocissimarum ac levium, duas invenimus de animadversione conatus in jure Romano sententias. Krug[3]), deinde Zachariae[4]) Romanos dicunt conatum ac consummationem criminum in legibus non separasse, quaeque facta velut in legibus judiciorum publicorum animadvertantur, ea ex notione nimirum conamina aliorum facinorum esse, ex rationibus tamen Romanorum propria delicta per se

---

[1]) Quas ex hac lege, deinde ex l. 16 poenis rationes adversarii depromunt, bene Lelièvre p. 46—56 refellisse etiam de novissimo jure Romanorum videtur: de conatu puniendi, Lovanii. cf. Luden, Abhandlungen aus dem gem. d. Straf-Recht I.: Ueber Versuch des Verbrechens pag. 16. Geib, Lehrbuch I, p. 80. Sanio l. c. p. 95.

[2]) cf. quae luculente Rein, Crim.-R. p. 126 exponit.

[3]) Versuch der Verbrechen p. 9 sq. etiam Luden I. 25 ff.

[4]) Versuch der Verbrechen p. 110—37.

consummata ac consummanda esse. Quod utrumque a Waechtero[1]) negatur. — Vix est in proposito nostro, ut accedamus ad singula. Hoc utique dubitandum ex Romani juris historia, nec de eo cogitandum est, quod Waechter notionem illam, quae nobis quidem in usu est et aptissima videtur, apud Romanos quoque usitatam fuisse contendit[2]). Illam potissimum, quae optimo jure increbuit, opinionem sequimur, jus criminale Romanum in singulis tantum casibus facinora, quae ad alterum scelus perficiendum pertineant, consuesse punire nec illa punire qua criminum conamina, sed ut delicta, quae sua vi ac potestate constent ac per se judicanda sint. Simili modo leges recentiores in conjurationem animadvertere solent et in morem arma occulta gestandi. Quis enim est, qui ex hac sanctione si nulla generalis apud regula de conatu exstaret, nos conatum omnino puniisse interpretetur? Ac multum abest, ut id, quod in factum, quod adhuc in effectum ipsum tendat, aequo poenae genere atque effectum sit animadversum, nobis adversetur, quom Romani, ut opinor, non omnem illorum factorum utique logicum nexum neglexerint sed sanctiones illas nullo alio loco melius faciliusque collocandas esse putaverint, quam in illis criminibus. Denuo non, quo nos systemate utamur, Romanos potuisse uti, systema, quod apud illos in usu fuisse Saturninus referre videtur, satis superque ostendit. Minime gentium in generalem terribilem conatus cujuscunque animadversionem pervenisse, Romanos credimus. Nulla alia nisi utilitatis causa, quae juri singulari omnino

[1]) Beil XXII, p. 45 c. cf. alios quoque, qui fere idem sentiunt: Cropp, Sectio I, 57—66 u. II. Welker, Letzte Gründe p. 555. Schröter, Handbuch § 83. Schrader, Institut p. 761. Rein, Crim.-R. der Römer p. 63. 64 sq. cf. Wächter etiam Lehrbuch I. p. 138. Abegg, Lehrbuch p. 175. Zachariae I. p. 92 ad illius librum Kritische Jahrbücher f. Rechtswissenschaft. V. Jahrgang. 1841. Abegg, p. 54 sq. Luden p. 9.

[2]) Wächter, Lehrbuch des Strafrechts p. 52 sq. Quocum consentit inprimis Bauer: »Wäre die Frage in demselben (Röm. R.) zur Sprache gekommen, so würde gewiss für die Strafbarkeit solcher Handlungen entschieden worden sein, weil dem Röm. R. bekanntlich die darin oft ausgesprochene Ansicht zu Grunde liegt, dass es weniger die äussere That, als der Wille sei, worauf die Strafe bezogen werde.«

causam praebet, non ex rationibus juris communis et aequitatis hoc receptum videtur. Ceterum hoc inter illas, quas retulimus, doctrinas non discrepat[1]) probationes deesse conatum in universis criminibus legitimis punitum esse. Quae quandoquidem nos deficiunt, quia id quod »veresimile[1])« tantum est ac per speciem tantummodo generaliter loquentibus locis affirmatur, nobis non sufficiat, obtinemus ac contendimus conatum per se in jure Romano non punitum fuisse. Id si verum est, jam apparet conatum inutilibus instrumentis susceptum impunem fuisse. Quod ad rationes praeparationum quarundam itemque conaminum in quibusdam sceleribus puniendorum speciales attinet, partim periculum, quod ex talibus facinoribus principaliter emineat, partim omnino salutem societatis ac rei publicae praesertim Romanae illis temporibus causam fuisse putamus, cur haec sancirentur, sicut de lege Cornelia inprimis Sanio[2]) luculente exposuit. Dum de singulis illis causis ejusdem Sanionis, Bynkershoekii, Lelievrii, Ludeni, Zachariae scripta sufficiat mihi allegare, restat adhuc iis, quae supra explicavimus, jus poenale Romanum fere objectivo tantum principio nixum non generaliter conatum puniisse, adjicere, conatum, qui fiat inutilibus[3]) instrumentis jamjam hac de causa non potuisse in jure Romano locum habere, quod ex legibus fere solummodo idonea, quibus susceptum effici possit, instrumenta maleficiorum intelligantur.

§ 6.

Nec plane negligendum quidem est, quod per occasionem commemoratur, factum, quod sit susceptum, oportere idoneum esse, quo ad eventum perveniatur, sicuti — non libenter e medio relinquerem Ulpianum l. 10, § 1 f. neg. gest. (3, 5) loquentem: »ut enim eventum non spectemus, debet utiliter esse coeptum« quod mire generaliter dictum mirum in modum

---

[1]) Wächter, Beil, XXII. f. cf. Wächter, Lehrbuch § 85, Not. 6. 7. 1. nec minus Cropp l. c. p. 61, not. 21 et Lelièvre l. c. p. 74, qui cetera quae de hac re scripta sunt, referunt.

[2]) Sanio l. c. p. 79. Not. 37.

[3]) de hac quaestione cf. Cropp. I. p. 41 sq. Wächter p. 137 sq.

reducit in mentem sententiam Saturnini jurisque Romani principium: »eventus spectatur!« — (48, 4) leg. Jul., Modestinus l. 7, § 3 testatur, quo loco judex, quae sit laudabilis majestatis principalis veneratio, personam spectare jubetur »an portuerit facere;« cf. (9, 2) leg. Jul. adult. coërc. Ulpianus (48, 5). — Verum in l. 54, § 2 furtis Gajus (47, 2): »teli autem appelatione et ferrum et fustis et lapis et denique omne, quod nocendi causa habetur, significatur,« deinde (48, 6) leg. Jul. vi publ. Paullus l. 9 »armatos non utique eos intelligere debemus, qui tela habuerint, sed etiam quid aliud, quod nocere potest,« commemoratur usus teli idemque definitur. — Telum secundum ea, quae l. 233 § 2. Gajus VS dicta sunt, figuratum est graeca voce: ἀπὸ τοῦ τηλοῦ ideoque telum significat idem, ac graece βέλος, sc. ab initio et ex usu tum temporis loquendi volgari: »quod ab arcu mittitur,« deinde ex ratione tunc temporis accurate loquendi, sicuti βέλος quoque, »omne, quod manu mittitur« significat. Cujus notionis Xenophon Anabas. V. 2, 14 exempla proposuit: λόγχαι, τοξεύματα (significat quod ab arcu mittitur, sicut telum communi nomine) σφενδόναι, λίθοι, Gajus vero lapidem, lignum, ferrum. Dum supra l. c. Paullus hoc nomen in jure criminali proprium usurpare videtur, ipse aliis locis Rec. Sent. V, 3. § 3 admonet: telorum appellatione omnia, ex quibus saluti hominis noceri possit, accipiuntur,« in Collat. Mos. et Rom. legum I. 13. § 2. »teli autem appellatione non tantum ferrum continetur, sed omne, quod nocendi causa portatum est.« »Deinde Gajus l. c. admonere nos videtur, Prudentiores jamjam ex lege XII tabularum non modo voce teli nocua quaedam instrumenta complecti, sed etiam, quomodo differat notio in jure criminali observata a priori propriaque notione, certam huic vocabulo attribuisse notionem periculi, ita ut injustum armorum usum ea tantum conditione puniri voluerint, si instrumentum quodlibet adhibitum fuerit noxium idemque periculosum, scilicet in vi publica, in furto armato, in homicidio, quo in crimine ex natura ac qualitate illius instrumenti periculosi veluti gladii aut vero clavis cuccumaeve indicium posse percipi, utrum dolo an culpa casuque homicidium sit admissum Hadrianus rescripsit

(48, 8) ad leg. Corn. sic. l. 1, § 3), Marcianus rescripsisse illum refert. Sic in magno criminum numero, ut utilia et habilia instrumenta sint, praeceptum videtur, adversus quod decisio illa, quam invenimus in altero legis Corneliae articulo contrariam, exceptionem tantum statuit. Nam qui hominis necandi causa veneno utebatur, ei poena legis Corneliae de veneficis irrogari debet. Venenum secundum l. 236 VS Gajus ad legem XII tabularum, sicuti graece φάρμακον, nomen est medium nec periculosum solum id esse opus est. Significat enim omne, quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum erat, mutat, comprehendit igitur venenum malum (ad occidendum paratum) vel medicamentum malum (Marcianus [48, 8] lege Corn. sic. l. 3, § 1), et venenum bonum vel medicamentum in sensu stricto (ad sanandum paratum) l. 236 VS, sed etiam illud, quod amatorium appellatur, quod lustramenti causa datur. — Nec Romanos ipsos triplici hac distinctione utentes, quid significet amatorium, sciisse puto cf. l. 3, § 2. l. c. — Iccirco si in lege Cornelia »venenum conficere, facere, vendere, habere, dare« sancitur, omissa adjectione, quam necessariam esse Gajus dicit: instrumentum hoc casu inutile quoddam adhibitum ideoque conatus inutili veneno poena legis Corneliae, sicuti lege XII tabularum animadvertitur: Neque hoc negare nos possumus, quae est curiosa ac diligens in hac lege loquendi ratio: »hoc solum notatur in ea lege, quod hominis necandi causa habet.« l. 3, § 2 cit. Hoc vere est, quod Paullus paullo infra: »in lege Cornelia dolus pro facto accipitur! — Quae vero quis habet cujusrei causae, non oportet ea esse etiam utilia ob eandem causam! In hac igitur lege, ne dolose venenum quanquam putativum tantummodo adhibeatur; deinde in Senatusconsulto, quo illi adrogatur, minore quidem poena cavetur, ne culpa tantum medicamentum ad conceptionem periculosum adhibeatur; quin etiam is, qui culpa, (48, 19) poenis l. 38, § 5 Paullus, abortionis seu amatorium poculum dando nemini tamen nocuerit, relegatione punitur! Quae conjunctio — simillimam paula infra habebimus — una in lege casuum diversissimorum fere aeque puniendorum, satis superque monstrat, quantopere praecaveat vitae cunctis opibus lex operam det,

ut, si posset, omnia talia venena de rebus humanis tollat. — Eandem fere decisionem ac duobus in casibus, quos commemoravimus, legimus apud Senecam: ut in telo,« inquit, »latronis opposita veste eluso ille non minus latro sit, sic illum venenum, cujus vim remixti cibo perdidit, dando scelere se obligare, etiamsi non nocuit.« Quum vero Seneca eodem loco pergat »omnia scelera, etiam ante effectum operis, quantum culpae satis sit, perfecta sunt,« Bynkershoek recte ad haec adnotasse mihi videtur: »ita forte philosophus, non ita jurisconsultus, cujus partes nunc quoque agimus,« judicat. Admonendi sumus hoc loco, magnum nec paullo illis temporibus crebrum periculum esse, quod ex usu veneni oriatur, deinde esse malum exemplum, quod alioquin toties causa legum atrocissimarum reperitur, quodque legislatori nempe is praebuisse visus est, qui culpa tantummodo venenum nactus erat; tertium, non tam rerum grandem, quae ad artem medicinam pertinent, peritiam Romanorum fuisse, qui certe, quaenam venena periculosa sint necne, nescierint, qui, veluti Marcianus, distinguunt hoc modo: aut periculosa sunt venena, aut non periculosa aut quoddam nec unum nec alterum, qui tandem — aliud hoc est Senatusconsultum — pigmentario illi, qui temere dederit, vendiderit cicutam, salamandram, buprestin, aconitum quoque, pityocampas, mandragoran legis Corneliae poenam minitabantur; non mirabimur haec omnia contemplantes, quod Romani distinctionem inter noxia et innoxia venena seposuerint, praesertim, quum jam hic[1]) superstitione coeperint animi perhorrescere, sicuti exempli gratia vulgo apud nos sulfuris, medicamenti plane innoxii non sunt amantissimi homines. Hac enim in inscientia ac simul superstitione cessat illa distinctio, utrum noxium sit necne instrumentum, cf. (48, 8) l. 13 Modestinus.

Quae si omnia de jure apud Romanos criminali exposita comprehendimus, dicendum est, Romanos observando generaliter objectivum principium, conatum ut in singulis tantum ca-

[1]) cf. ad haec; quae Abegg, Der Aberglaube und das Verbrechen: Archiv des Crim.-R. cit. p. 381 sq. disserit.

sibus, ita inutilibus susceptum instrumentis punivisse nusquam excepto veneficio.

Cap. II.

Jus Germanicum.

Jus antiquum.

§ 7.

Jam progrediamur ad considerandum jus germanicum. Jus germanicum non ab legislatore, qui libero ipsius arbitrio hoc illudve principium pluris aestimans alia principia alias rationes postponere potuisset, institutum esse ac compositum videtur, sed est natum genitumque ex consuetudine ac communibus nationis rationibus, et postea jura singula collecta et in unum coacta sunt. Quod in jure germanico tamen objectivum invenitur principium, originem duxit ex natura et indole juris privati, cui ab initio omnia maleficia apud Germanos subdita erant ac diutissime manebant, quom is, qui damnum senserat, vel etiam ejus gens offendi ac violari putaretur; ideoque weregiltum vel compositio multa est, quam is qui vim intulerat, etiam in atrocissimis criminibus etiam in homicidio, in corpore laeso solvere solebat. — In uno vero scelere, quod natura quidem sua non singulos, sed rempublicam offendit, publica poena irrogata est et hic tali modo, ut qui sint fines inter jus privatum ac publicum, vix intelligi possit: Qui in salutem reipublicae deliquerit ac perduellionis arguitur, ejus vita simul cum re familiari voluntati principis devota est, quasi ejus jus privatum fuisset violatum: Tacitus Germ. c. 12 lex Bajuv. ti. 2, c. 2. — Ut vero jam ex natura poenae, quae tum temporis sumi solebat, resultat, ita clarius ac dilucidius principium objectivum perspicitur hac re, quod Germani non distinguebant inter culposum et dolosum homicidium; cf. inprimis legem Saxonicam ti. 12, c. 5, praeterquam quod is, qui damnum accepit, faidae jam expers compositionem tantum, qua sibi satisfieret, habebat, quod vero posteriori quidem tempore demum, quum potestas publica major ac fortior facta fuisset, obtinere videtur. — Quibus omnibus de causis consentaneum nec mirandum videtur, quod jus germanicum poenam non in voluntatem refert neque ideo generalem conatus notionem et

animadversionem obtinet. Singula nimirum, ita loqui libet, conamina in jure germanico quoque invenimus, sed tamen, ut eximia diligentia Luden[1]) exposuit conamina proxima tantum, quae quidem minore[2]) poena afficiuntur. — Ita in legibus barbarorum et in tractatibus de jure, qui tunc scribebantur animadversum in attentatum homicidii, abortus procurationem, sterilitatis, plagii, criminis vis in sensu speciali, raptus, rapinae, furti, quod crimen publicum est in jure germanico, et falsi intelligimus. Vix aliud quidquam facere nos posse confitemur, quam repetere, quae ille docet, possemus, si singula accuratius exploraremus hic. Sufficiat igitur nobis statuisse in jure germanico, in quo plus privati quam publici juris naturam invenimus expressam, objectivum obtinere, sicuti in nullo alio jure, principium. — Nam ex hac ratione sequitur, ut poenam in tali jure irrogatam esse conamini inutilibus instrumentis contendere nequeamus.

Quod intelligitur quoque manifesto ex nonnullis legum codicumque locis: legis Ripuariorum ti 83 c. 1: »si quis vir seu qua mulier Ripuaria per venenum seu per aliquod maleficium aliquem perdiderit, weregiltum componat« c. 2: »si autem mortuus non fuerit et varietatem seu debilitatem probabilem ex hoc in corpore habuerit, centum solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret.« Hic plane sermo est de rebus aut vitae aut valetudini periculosis. Clarius vero et ita, ut omnes dubitationes eximantur, in lege Bajud. ti 3 c. 7 objective periculosa esse, quae adhibita sint, instrumenta oportere expositum est: »similiter, qui potionem hujusmodi donaverit alicui, in quo mortiferum esse dinoscitur, quamvis parvum sit aut multum, si evaserit, cum duodecim componat,« deinde c. 6 eod: si quis cum toxicata sagitta alicui sanguinem effuderit, cum duodecim solidis componat eo, quod inunwan (inunwani i. e. in desperationem vitae).« In utroque casu habilibus instrumentis de suscepto conatu agi videtur, in quo verumnec putationem tan-

[1]) Luden, Abhandlungen aus dem Strafrecht p. 302—395.

[2]) Zachariae, Lehre vom Versuche der Verbrechen. § 205. cf. quae explanat de illo libro Abegg cit. Krit. Jahrbücher.

tum venerum est adhibitum. Tum demum enim poenam irrogandam esse, quom potionem esse letalem, sagittam vere toxicatam esse argutum fuerit, quoniam effectus, ut apparet, in utroque casu non ob instrumentorum insufficientiam impeditus fuerit, quae eadem conditio et in eo casu intelligenda esse videtur, quem lex Visigothorum refert lib. VI. ti 2 c. 2: »si certe poculo veneni potatus evaserit.«

Eadem denuo ratio meo quidem judicio usurpatur statutis quoque Magdeburgensibus, quae composita sunt per magnam partem ex speculo, quod dicunt, Saxonici juris, articulo 9: »Iss di wunde gestochen mit einem mezzern, und wird der mann gevangen in der vrischen tat, unde vor gericht gebracht mit gerufte, her mag im sprechen an sinen hals, ob her will, wanne daz mezzer ein duglich mort ist;« deinde in altero juris Suevici speculo veluti c. 383: »einer mag sein weib wohl rügen und weib iren mann, ob sie ihm oder er ihr ein Gift machet, da man die Leute mit toedtet; sie sollen beide ihr Gesinde von ihnen thun, ob sie der Unthat von inen inne werden,« instrumenta habilia sunt requisita.

Secundum ea in vetere jure Germanorum impune esse crimen susceptum inutilibus instrumentis dicendum est.

Jus Constitutionis Criminalis Carolinae.

§ 8.

Magna vero intercessit de legislatione juris, quod dicunt, communis, de constitutione criminali Carolina controversia, num in illa haec conaminis species poenae subjecta sit. Coartatur hic nostrae quaestionis explicatio paragrapho illa, quae est de conaminis notione, articulo 178 CCC.

Ex superscriptione et ex iis, quae in articulo exponuntur, id tantum pro certo potest intelligi, Imperatorem in conatum ipsum animadverti ideoque recedi ab sententia juris Romani ac veteris juris Germanici voluisse, ex qua in nonnullis tantum, qui supra in medium prolati sunt, casibus, puniendus ille est. Quae ratio jurium priorum, conatum per se impunem esse ut jam ab initio nos movebat, ut objectivum principium illis supposuerimus et hac de causa conatum inutilibus opibus sus-

ceptum poena eximamus; ita, quod in CCC conatus ipse punitur, certe subjectivam juris rationem ideoque animadversionem quibusvis conaminibus statutam fuisse demonstrat. Id quod nulli dubitationi videlicet subjectum esset, si nil aliud in CCC esset sancitum. — Nec tamen mere subjectivum principium in hac constitutione exsistere, sed sola idonea potius conamina puniri persuasum est longe plurimis et nobis ex verbis articuli 178. Hic sane solummodo Tittmann et post eum Selchow, deinde Waechter in favorem nempe rationalis ipsorum de hocce conamine doctrinae, etiam inutilia conamina ex CCC punienda esse contendunt. — Quanquam generaliter et utique breviter CCC sententiae eo usque receptae opponit ipsius rationem, ea nimirum brevitas ex omni dispositione Constitutionis, in qua mehercule nec levitatis nec festinationis vestigia perspicua esse omnes consentiunt, omnino non ea mente accipienda est, ut sententiam ab verbis legislatoris alienam supponamus! Quom enim Tittmann dicat; si quidem verba legis teneamus, de animadversione conatus inutilibus instrumentis susceptis cogitare nos non posse, cogitavisse vero legislatorem de volgari tantummodo conaminis specie, de conamine utilibus opibus attentato ideoque adstrictius locutum esse, neque utique verba »scheinliche Werke, welche zur volnbringung der missethat dienstlich sein mögen,« amplius esse, quam nudam paraphrasin, nec sententiam exprimere Constitutionis, secundum quam facere non possimus, quin in veneficum, qui venenum cum alia substantia miscuerit eoque modo vim ejus corruperit, animadvertamus; hoc opprobrium haud immerito a Zachariae[1]) et a multis aliis jam rejectum est. — Alio modo Waechter de hoc articulo disserit[2]), qui in apposito: »werken, die zur volnbringung der missetat dienstlich sein mögen« subjectivum tantummodo nexum inter effectum ac coeptum facinus requiri arbitratur, quom verba »sein mögen« interpretatur eo sensu,

[1]) Ejusdem sententiae etiam Abegg est: Kritische Betrachtungen über den Entwurf p. 154.

[2]) Waechter Beil XXIII. p. 49. 2.—50. cf. Feuerbach Rev. II p. 269 f. Jarke Handbuch I. p. 217, Luden Abhandlungen I. p. 475 sq.

quo nostro tempore ea accipimus, i. e. opposita verbis: »dienstlich sind.« Sed verbum »mögen« antiquissimis temporibus et inprimis tempore CCC, ut satis usus sermonis in bibliis Sacris ostendit, alia notione accipi solet; significat enim »können[1]).« Hocmodo hercule in conatu facinus susceptum objectivam et realem effectus causam esse posse dictum est. Quod veram esse vocis significationem, perspicitur ex versione articuli Gobleri[2]): »si quis maleficium apparentibus factis ad effectum seu completionem maleficii conducentibus molitur,« qui, si verbum »mögen« eo sensu, quem Waechter intelligi vult, percepisset, certe non usus esset participio »conducentibus,« quod videlicet indicativi tantum loco esse potest; nec dubium est, quod Pfotenhauer hoc loco: »auf die Vollendung des beabsichtigten Verbrechens (gerichtete oder) hinführende Handlungen« vertens quodlibet conamen, etiam conamen inutilibus rationibus susceptum deinde in objectum haud idoneum suscepta facinora posse hac versione contineri dicit, facillime redargui. — Quae verbis »scheinliche werke« apposita sunt, haud prorsus superflua sunt nec desiderari quidem possunt, nec solummodo attributum, quod dicunt ornans est sed hac voce haud dubie postulatur, ut ea tantum facinora, quae ex sua natura apta sunt ad crimen perficiendum, arbitrariae poenae conaminis subjecta sint. Nec tamen negabimus, interpretes posteriores, ut Cressium in commentatione, Boehmerum in meditatione ad articulum CLXXVIII § 1 in conatu sufficere secundum juris communis regulas subjectivum nexum inter consilium et effectum contendisse, sed cum vere, quod Pfotenhauer[3]) vult, interpretationi Zachariae, quam nos quidem sequimur, obnitantur amborum versiones, cur tamen ille horum quoque neglecta interpretatione articulum nostrum nullius esse momenti putat et in quaestione

---

1) cf. a 159. Feuerbach. Betrachtungen über a 159 der P. G. O. in der Bibl. d. peinl. Rechts II. B. 1. Stck. Nr. 2.

2) v. J. Gobleri Interpr. CCC. et Remi, quam vulgavit Abegg, ibique a 178.

3) Pfotenhauer, Einfluss des fakt. Irrthums p. 189 sq.; ejusdem libri censura invenitur in Kritische Jahrbücher für Rechtswissenschaft, Jahrgang III. 1839. facta ab Abegg. pg. 1066—85 inpr. pg. 1084.

de inutili conamine jus Romanum introducit? Quod vero ad interpretes illos attinet, id potissimum est premendum, illos posteriore tempore vixisse, ac Gobleri interpretationi eo plus momenti attribuimus, quo magis consentit cum usu germanicae linguae, quem supra jam exposuimus. — Ut tenariter vero hanc obtinemus sententiam, ita parum nostra intererit, quod Luden ac Pfotenhauer ex hoc articulo impunes esse praeparationes delicti depromunt, improbare; quod sane, si quidem paraphrasin Remi intuemur, difficillimum esse concedemus: »si quis non extrinsecus tantum et remotis factis, ut apparatu telorum, veneni mali praeparatione etc., sed proximis, quae ad perfectionem criminis pertingunt, maleficium designare conetur,« praesertim quom clara articuli verba id testentur. Nec nobis, verbis »apparentibus factis« »scheinliche werke« talia facta significari videntur, »quae extrinsecus possint videri, visu percipi;« sed quae argumenta gravia praebeant, quibus consilium ita probetur, ut negari non possit, — quid plura! quae demonstrant, crimen quoddam tentari. Cui rei, etiam voci »werke« dilucidi, visibilis cujusdam, quod oculis occurrit, significationem inesse addimus. Nos quoque negamus ex tali verborum in a. 178 expressione posse de punienda delicti praeparatione cogitari in jure communi; sed interpretationi etiam locus est, nonne praeter omnem illam verborum interpretationem ea sententia defendi possit, per se stare vim ac potestatem eorum, quae apposita sunt: »die zur volnbringung der missethat dienstlich sein mögen,« ac requiri praeter conatum proximum, ut instrumenta utilia sint? Quid est, quod nos prohibeat, quominus in secundi articuli linea conatum proximum, habilia et utilia instrumenta in tertia linea requisita videamus, ut conatus possit puniri. An conatus forsan inutilibus rationibus susceptus nequit esse modo remotissimus, modo minus remotus, modo proximus? An et sententiae, quae contenduntur, altera alteri sibi repugnare videntur, ita ut eo, quod requisitus est progressus quidam actionis, excludatur alterum, quod utilis aptaque actio in conamine requirantur? Neque intellego, quamobrem in iis, quae apposita sunt, verbis omnimodo oporteat inesse denuo notionem factorum apparentium,

quae sane vox per se intelligi comprendique potest, dum in contrario ea quoque facta, quae ad consummandum non utilia sunt, possunt appellari apparentia. Annon forsan, quom venenum quis cum alia substantia permutaverit et alteri dederit, ea res voluntatem necandi satis manifestat ac demonstrat? Verba igitur, quae apposita sunt, haud dubie novam exprimunt notionem, quae non in voce »scheinlich« inest — Ergo sententia, quae in a 178 est, fere haecce: Quodvis susceptum (i. e. »unterstandene«) crimen capitale (»missethat«[1]) poena, quae in arbitrium judicis est relata, capitali punitur secundum subjectivum principium, scilicet propter malam voluntatem (»solch böser will«), qualis se manifestaverit in actionibus, quae vere ac proprie sic dicuntur (»werke«), quae, quia longius jam procedit, in quem finem et effectum tendant, dubitationis jam sunt expertes (»scheinliche«), deinde quae propter res aliquas a voluntate alienas eventu carent (»durch andere mittel«[2]) quae denique aptae sunt, quibus idem crimen consummetur[3]). — Ceterum exponere omnino non necessarium est, instrumentis utilibus superstitiosa simul et magica ex opinione illius aevi (cf. a 109) adnumeranda esse[4]). — Quod ad communis juris praxin, quae sequebatur hanc Constitutionem, attinet, auctoritas quidem rerum perpetuo similiter judicatarum non potest dinosci. Multis vero casibus, quos in communis juris praxi secundum mere subjectivum principium judicatos invenimus, sic in Cattorum ducatu[5]) et apud Suevos Saxonesque usque ad legislationes recentioris aevi, satis perspicitur, rationem mere subjectivam in jure criminali magis magisque comprobari coepisse, quam quidem rationem in theoria doctrinave lauda-

---

[1]) ante Constitutionem: »an Hals oder Hand,« post illam »an Leben, Leib, Glidern, Ehre und lebenslänglicher Gefängniss« puniri solitum, quod quidem crimen in conatu hic accipiendum esse poena capitalis in articulo sancita satis declarat.

[2]) Quod quidem minis urget Bauer. l. c. I. p. 388.

[3]) cf. ad haec Ludeni libelli recensionem, quae fit per Abeggium: Kritische Jahrbücher für Rechtsw. II. Jahrgang 1838. pg. 48—54.

[4]) v. Archiv des Crim.-Rs., Abegg, Der Aberglaube und das Verbrechen pg. 399 sq. 3. Stck.

[5]) Kersting: Das Strafrecht in Kurhessen § 50.

bimus, etiamsi et ipsam quom apud multas gentes tum in nostrae reipublicae legislatione neglectam videmus.

Cap. III.

Jus Borussicum.

Jus antiquum.

§ 9.

Jus superiorum quidem temporum Borussicum, quod continetur sanctionibus juris territorialis P. II, ti 20, subjectivum observat principium, quoniam § 40 generaliter in conamina animadverti vult ac sane in conatum remotum, in praeparationem delicti (§ 42) inprimis conatum interfectionis § 838a. Poena enim persequitur, ut in § 42 legimus, pravam voluntatem (quo magis sit progressa ad veram consummationem criminis, dum § 43 alioquin poenitentia efficax a poena liberat (»einen Anspruch auf Begnadigung gewährt«).

Crimen prohibetur modo casu quodam, modo ipsius, qui crimen perficere volebat, recessu, illic puniendum est hic poena potest removeri. Haec tamen efficax poenitentia a nostro proposito est aliena. Quod ad alterum attinet casum, voluntas ejus, qui suscipit crimen cernitur in actionibus, quae ad eventum injustum tendunt. Quas tamen, qualescunque fuerint quidem, noluisse eum facere apparet. Attamen facta esse supponendum est, quae sine voluntate esse nequeant. Ergo dicendum est eum, qui inutilibus instrumentis utatur, talia facinora modo qualia sint haud idonea, noluisse perpetrare, voluisse, quae sint idonea; in hac quidem propria facinoris natura casus[1]) esse ac regnare jam coepit, exstant enim in facinore, quod voluit, quaedam, quae non jam in nostra voluntate sita sunt. — Ergo inutilitatem quoque facti oportet notioni casus attribui et propterea quidem dicendum esset, etiam conatum,

---

[1]) § 40. »Hat der Thäter zur Vollziehung des Verbrechens von seiner Seite alles gethan, die zum Wesen der strafbaren Handlung erforderliche Wirkung aber ist durch einen »blosen Zufall« verhindert worden, so hat er diejenige Strafe, welche der ordentlichen am nächsten kommt, verwirkt.«

qui fieret inutilibus rationibus, ab legislatore non modo non neglectum, sed etiam designatum esse poena dignum, quae sententia eo quoque paullulum firmaretur, quod in § 40 dictum est: »Hat der Thäter zur Vollziehung des Verbrechens „von seiner Seite" Alles gethan«, quae verba per se fidem tantummodo efficere possent; deinde quod in conatu homicidii[1]) voluntas requiritur, quae cernatur in certis quibusdam factis.

Verum huic interpretationi obstant, quae in §§ 41, 42 fusius exponuntur. In §§ 40—42 de gradibus disseritur conaminum. Quanquam vero non illorum sententiam, qui, sicuti Pfotenhauer, sanciendis poena praeparationibus delictorum, excludi contendunt omnino animadversionem inutilium conaminum, approbamus, illiusmodi tamen conaminum gradatio, quae et ipsa per se quidem summo jure in inutili quoque conatu cogitari potest, quandoquidem in extrarium et, qui ab facinoris natura alienus est (»unabhängig«[2]), casum videtur relata, nos prohibet, quominus Borussorum legislatorem de conatu inutilibus opibus suscepto ne dicam cogitasse sed tamen respici eum voluisse contendamus. Licet denique et in conatu inhabili actio ipsa diversos habeat gradus, quidam tamen progressus et appropinquatio, ut dicam, ad consummatum delictum non hic videlicet exstat, quod vero requisitum est § 42 in conatu. Quod enim ab initio effici nequit, permagna nimirum adhibita opera ei semper deerit perfectio et absolutio. Deinde quod ad § 838a attinet, verba »dadurch aber noch kein Schade verursacht worden« eo tendere apparet, legislatorem modo de habilibus cogitasse conaminibus.

Ergo quamvis jus Borussicum, quum praeparationes scelerum puniat, quom poenitentiae rationem habeat, regi videatur principio subjectivo, quod aliis quoque locis redactores observa-

---

[1]) § 838a. »Ist die Absicht zu tödten, schon »in äusserliche Handlungen« ausgebrochen, dadurch aber noch (!) kein Schade verursacht worden, so hat der Thäter vier- bis sechsjährige Festungs- oder Zuchthausstrafe verwirkt.«

[2]) ut nos diceremus cf. verba § 42, ubi poena aestimatur, »nach Verhältniss des Fortschritts zur wirklichen Vollziehung;« deinde v. Not. 1: »dadurch aber noch kein Schade verursacht worden.«

verunt, veluti Klein, qui cum Tittmannio faciebat; tamen cum Zachariae aliisque, conatum inutilibus rationibus tentatum impunem esse, dicendum est; ac rejecta quidem lubrica nec satis firmata ea distinctione, quam vulgo statuunt inter absolute et relative inutiles rationes, sententiam paragraphi 866 h. t. propter singularem, quam supra jam commemoravimus, naturam hoc casu licet coartare.[1])

Ita secundum jus territoriale Borussicum similiter ac sanctionibus in jure Romano scriptis non est animadvertendum in crimen inutilibus instrumentis susceptum, excepto uno conatu veneficii.

Jus novum.

§ 10.

Projecta illa, quibus ex anno hujus saeculi trigesimo legislationem Borussicam progressam esse significatur, quibusque codex anni MDCCCLI praeparatus est, de hac quaestione diverse disceptant: projectum illud, quod ex commissione quam dicunt ad leges revidendas prodiit anno MDCCCXXVII § 77, propositio MDCCCXXX § 48, XXXIII § 46, XXXVI § 50. Propositione anni XLIII conatum esse initium consummandi criminis, quo tendat voluntas, intelligi jubetur, sed tamen expresse sancitur, ne disjungamus, utrum causa et nexus rerum objectivus an subjectivus sit, in animadvertendis conaminibus § 57[2]). — Deinde in projecto anni XLV omissa illa prioris paragrapho, modo tales requiruntur actiones, quibus contineatur initium consummationis. Propositio anni XLVI etiam magis in universum loquitur, quapropter, quom tractaretur apud eos,

---

[1]) cf. Neues Archiv X. p. 552. Mitterm. Etiam jus Borussicum in veneficio innocuorum medicamentorum usum poena afficit; »Sind Jemandem unschädliche Sachen mit der Absicht zu tödten beigebracht worden: so soll auf eine sechs- bis zehnjährige Zuchthaus- oder Festungsstrafe erkannt werden.«

[2]) ad eandem cf. Abegg Kritische Betrachtungen über den Entwurf des Strafgesetzbuches für die preussischen Staaten vom Jahre 1843 p. 155 cf. Goltdammer: Materialien für preuss. Strafgesetzb. I. pg. 246—252 et pg. 272.

qui ex singulis civitatis ordinibus convocati erant, dein in propositione MDCCCL id quod propositio XLV sanxit, denuo est receptum. — Notio tandem conatus, quae in codice juris criminalis Borussici adoptata est § 31, est haec ut: »er durch Handlungen welche einen Anfang der Ausführung enthalten, an den Tag gelegt und nur durch äussere, von dem Willen des Thäters unabhängige Umstände gehindert worden oder ohne Erfolg geblieben ist.« Hic inprimis ex rationibus legis praecipue secundum propositionem anni XLV et secundum codicem Francogallicum, a 2, quem juri criminali apud Borussos recentissimo exemplo fuisse constat, deinde ex verbis § 31 expressis dicendum est, conatum tum quidem in jure non locum habere, simulatque instrumenta fuerint inutilia. Requiruntur enim in paragrapho res extrariae alienaeque a voluntate ejus, qui agit, quibus eventus impeditus sit. Quibus verbis inprimis poenitentia efficax commemoratur, quae causam, cur reus absolvatur, in se habeat. Illa quidem impedimenta, quae ex inutilibus instrumentis pariantur, et certe negare non licet ab voluntate ejus, qui agat, dependere quodammodo; nec sunt extera, quae scilicet extra actionem efficacia sint, nominanda. In hunc ideo modum non apta sunt, quae in conaminibus requirantur, impedimenta. — Hoc vero non solum in absolute inutilibus, sed etiam in relative utilibus valet in jure Borussico. — Huc accedit id quod multifariam disceptatum est »Anfang der Ausführung.« Secundum talem enim vocem legalem quidem de animadversione inutilium conaminum cogitari non posse patet. Quom enim non possimus aliquam rem ad finem perducere, tum ne de initio quidem licet loqui, ac quae est illa sententia de objectivo nexu inter susceptam actionem et eventum hoc loco reperta, quanquam praxis ac summa judicialis interpretatio itidem facta distinctionem inter absolute et relative inhabilia posuit ac defendit instrumenta, conatum inutilibus rationibus susceptum ex jure Borussico criminali liberandum esse animadversione quin putemus, facere non possumus. Nam ut omittamus talem nihilo probari distinctionem videri; verbo initii vera, quaeque in legislatoris mente praesumenda est, significatione, actionem quae

suscepta sit, qualis semel sit, absolute aptam esse ponitur, qua eventum assequi possimus. Neque enim is, qui veneni nimis infirma qualitate, nimisve exigua quantitate, vel in Mithridatem quendam usus est, nec mehercule is, qui apta clavi nescierit, quomodo utatur, vel ob difficilem forium structuram consilium assequi non potuit, initium fecit homicidii, furti fecit initium. Verum tum demum initium feci homicidii, quom venenum per se — sc. non respecto effectu forsan extrariarum rerum, quae vim actionis permutare possunt — utile et idoneum ad exstinguendam hujus certi hominis vitam adhibuerim. Praecipere non lex ipsa nec concedere aliam interpretationem videtur, si quidem verba spectamus; usualis vero interpretatio[1]) hujus paragraphi obtinere ac statuere quandam haud propriam initii notionem videtur. —

Conclusio.

Haec vero sunt, quae de proposito nostro in universum explicare in animo habuimus: Neque iu Romano, nec Germanico, nec in communi jure nec nostro Borussico quidem animadvertitur in eum, qui inutilibus rationibus scelus quoddam consummandum susceperit, plane adversus nostram, quam in prima operis parte exposuimus ac defendimus, de lege ferenda sententiam. Ceterum huic sanctioni de quaestione nostra in jure Borussico statutae simillimam multi aliarum quoque in Germania civitatum codices ferunt sententiam. Sed tamen animadvertunt quoque singulae Germanorum leges modo hac modo illa cum varietate in conatum, qui fit inutilibus rationibus: Darmstadt a 67, Baden aa 110, 111, Wuerttemberg a 72, Brunsvigia a 36, Saxonia a 26.

[1]) cf. etiam Goltdammer, Materialien zum pr. Strafgesetzbuch 1851. I. p. 272 sq., inpr. pg. 275.

VITA.

Theodorus Roettig natus sum ab Ernesto Roettig et Natalia e gente Huebner Mulhusis, oppidulo in Saxoborussia die III. m. Jul. anno hujus saeculi XLIV. Fidei evangelicae addictus sum. Gratias hic libenter ago maximas parentibus, quod educare et excolere me diligenti curae sibi habebant nec minus nunc, quom adolevi, beneficiis me obstringunt et amoris eximii innumerabilia mihi congerunt indicia. Quam dulce ideo meminisse, apud illos degere usque ad plenam pubertatem, quandoquidem lyceo Mulhusano, cui insignes adhuc praesunt praeceptores inprimis, cujus saepissime in philologicis scriptis quoque perhibetur auctoritas, Ameis — nomen ejus editione Homeri Odysseae, cujus maximo me amore tam praeclari poetae imbuit, apud eruditum quemque innotuit — inducere me non dubitaverunt. Praeter illum referre nomina directoris gymnasii: Haun aliorumque magistrorum: Hasper, cui plurima debeo Fahland, Roseck, Vitz, Recke, Dilling non pietatis tantummodo officio continetur sed animo me obsequi meo confiteor, quum hoc facere jucundissimum sit, quod amoris causa fit. Absolutis in hoc gymnasio studiis instructus maturitatis testimonio Heidelbergam ire constitui animo adhuc titubante, utrum philosophicis omnino incumbam studiis an jurisprudentiae. Ac certe Vangerovium, egregium illum praeceptorem Juris civilis puto excitasse me scholis de Pandectis luculente explicatis ad studium juris scientiae. Nec certe spes me fefellit, res gravissimas dignasque, in quibus animus occupetur, in hac quoque parte scientiarum inveniri. Nullam quidem aliam exstare puto scientiam, quae aptior sit ad indolem viri propositi, quod quidem probaverit, tenacis, excolendam! — Illinc Lipsiam profectus non minus laetor, quod facultas mihi facta erat Waechteri, quem omnes ad unum venerantur,

scholas auscultandi. Quis est, qui illius
mirum in modum praediti unquam oblivi
beam, dicere possum. Academiam illam
scientiae amore imbutus ac potissimum ju
immemor ero, quomodo Albrecht, Gerber, Roscher
meo ingenio meruerint. Sedes illa tantorum Ictorum semper memoria mea tenebitur. Etiam Berolini, quo aestate anni h. s. LXVI. me verti, professoribus Gneist, Bruns, Holtzendorff, Hinschio gratum semper animum servabo. Non me fugit, parentibus nec minus, qui eorum loco sint habendi, praeceptoribus non posse rependi gratiam pro beneficiis, quaecunque ab illis acceperimus. Hoc est, quod mihi venit in mentem, viros illos doctos, quos in alma literarum universitate cognovi Viadrina, nominanti: Gitzler, Abegg, Huschke, Stobbe, Schulze, Goeppert, qui faciles mihi adhibuerunt aures. Viadrinam rogaturus, ut ad examen pro gradu admitterer, ordinem Ill. Ictorum, petivi rebusque feliciter gestis rebus forensibus animum advertam.



THESES.

I. Ad dolum malum scientia legis quidem poenalis in omnibus delictis, non tamen scientia poenae requiritur secundum jus naturale, neutra tamen requiritur secundum juris communis praecepta.

II. Cap. 3 (Odoardus) X de solutionibus de beneficio competentiae clericis tribuendo minime loqui contendo.

III. In furto armato secundum jus commune et Borussicum solummodo, ut arma apta sint, quibus quis volneretur, non ad id parata sint, ut quis volneraretur.

IV. In l. 49. Dig. mandati quom Marcellus »Titium obstrictum emtori« dicat, etiam traditionem rei esse factam supponendum est.